



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Davidis Regii Prophetae Psalterium**

**Moritz <Hessen, Landgraf>**

**Smalcaldiae, 1593**

**VD16 B 3258**

Psalmvs XXXIII. Benedictam Domino in omni &c.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68864)

*Et gratia complectere: ut  
Spes nostra te uno nititur.*

PSALMVS XXXIIII.

Benedicam Domino in omni &c.

**P**erpetuis Dominum celebrabo laudibus, omni  
Tempore materia est carminis ille mei.

Mens mea leta canet, nec vox benefacta silebit  
Ipsius, ut miseris gaudia certa feram.

Nunc Domini mecum vos tollite nomē ad astra,  
Dulcibus hoc hymnis predicet omnis homo.

Anxius hunc quando quesiui, exaudiit astans,  
Corde mihi eripiens ē pauit ante metum.

Ipsius auxilium quicumq; implorat, habebit:  
Ioua solet miseris ferre rogatus opem.

Ecce meas licet oppressi lacrymasq; precesq;  
Respiciens, cunctis me eruit ipse malis.

Angelus en Domini sanctos defendit ab hoste,  
Nec sinit ille pios dura subire iuga.

Cernite gustantes, bonitas sit quanta Jehoua,  
Felix, qui scit ab hac se bonitate tegi.

Vos colite ergo Patrem rerum, sanctiq; timete,  
Nam bona res nunquam deficit vlla pios.



*Esuriant catuli rabidorum saepe leonum,  
Quarentes Dominum sed beat omne bonum.  
Vos igitur iuvenes ad me contendite tandem,  
Discite Iusticiam, iudiciūq; Dei.  
Qui cupit inter vos iucunda dulcia vita,  
Et sancta pacis commoda grata sequi:  
Veraci lingua sit præditus, atq; malo omni  
Os prohibens, fugiat falsa dolosq; loqui.  
Mitte malum, sectare bonum, sis iustus & æquus,  
Amplectens pacem, tristia bella fuge.  
Intentis oculis iustorum corda tuetur,  
Et placida Dominus percipit aure preces.  
At notat is reprobos vultu observatq; minaci,  
Nomen ut illorum funditus intereat.  
Cum pius auxilium diuinum flagitat, illud  
Impetrat, innumeris eripiturq; malis.  
Proximus est Dominus contrito corde vocanti,  
Summissos patria pro bonitate leuat.  
Multa licet iustus patiatur ab hoste cruento,  
Cuncta tamen superat, subueniente Deo.  
Custodit iustos Deus incolumesq; tuetur,  
Nec minui ipsorum vel minima ossa sinit.  
Impius à Domino casu interimetur acerbo,*

Qui



*Qui iusto grauis est, hunc sua poena manet.  
Vindicat ipse animas seruatorum Ioua suorum,  
Fidentes Domino premia digna ferent.*

PSALMVS XXXV.

Iudica, Domine, nocentes mihi, &c.

**Q**ui mihi bella parant, Deus, his fera bella  
Quiq; fouent lites, obrue lite sua. (moueto,  
Arripe tela manu, clypeo te fortiter arma,  
Mox tua opem armipotēs et tua dextra ferat.  
Protinus hanc animam correpto protege ferro,  
Contra inimica mihi castra pioq; gregi.  
Huic anima dicas me a hostibus undiq; cinctæ:  
Sum tibi presidium, sum tibi certa salus.  
Fac pudefacti omnes, qui subdola retia tendunt,  
Retro abeant, mihi cum dāna dolosq; struant.  
Cassibus expansis cum vitæ huic insidientur,  
Abscondant anima cum laqueosq; meæ.  
Obruat incautum fovea quam fodit hiatus,  
Cum studuit structis me capere insidiis.  
Sic anima in Domino hæc requiescat leta benigno,  
Auxilio cuius sæpè leuata fuit.  
Corporis ossa mei dicent: quis erit tibi, Ioua,